



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXII. Gregorii Papae I. Ad Antoninvm Svbdiaconvm. De obitu  
Natalis episcopi, & de ordinatione episcopatus eius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

*Mense Februario, indictione undecima.*

EPISTOLA XXI.

GREGORII PAPÆ I.

AD PASCHALEM DEMETIANVM ET CASTORIVM  
FRATRES.

Reddit substantiam patris eorum.

*Gregorius Paschali, Demetiano, atque Castorio, filiis Urbici  
defensoris de Tiburtina.*

**O**FFICII nostri est orbatis ita parentibus ferre consultum, quatenus aliquid de his, quæ iuste debentur, ecclesiæ relaxantes, eorum possimus subuenire miseriis. Quia igitur facta subtilius ratione, patrem vestrum Vrbicum, quondam defensorem, de patrimonio Sabinensi atque Cardolano, quod eius fuerat curæ commissum, constat in non modicam summam debitorem fuisse defunctum: & quamuis tota eius substantia pro hoc sit ecclesiæ obligata, nec tamen ad satisfactionem eorum, quæ consumperat, possit sufficere, nos tamen tamen pietatis intuitu, eiusdem patris vestri substantiam vos habere ac possidere permittimus atque concedimus, vestris procul dubio vtilitatibus profuturam, securi quod nullus vos denuo de iis, quæ vobis relaxantes concessimus, aliqua ratione concuriat.

*Mense Martio, indictione undecima.*

EPISTOLA XXII.

GREGORII PAPÆ I.

AD ANTONINVM SVBDIACONVM.

De obitu Natalis episcopi, & de ordinatione  
episcopatus eius.

*Gregorius Antonino subdiacono rectori patrimonii  
in Dalmatia.*

**N**ATALEM Salonitanæ ecclesiæ fratrem & coepiscopum nostrum obiisse, discurrens in partibus istis fama vulgauit. Quod si verum est, experientia tua omni instantia omniq[ue] solicitudine clerum & populum eius

dem ciuitatis admonere festinet, quatenus vno consensu ordinandum sibi debeant eligere sacerdotem, factoque in personam, quæ fuerit electa, decreto, ad nos transmittere studebis, vt cum nostro consensu, sicut priscis fuit temporibus, ordinetur. Illud quidem præ omnibus tibi curæ sit, vt in hac electione, nec datio quibuscumque modis interueniat præmiorum, nec quarumlibet personarum patrocinia conualecant. Nam si quorumdam patrocinio fuerit quisquam electus, voluntatibus eorum cum fuerit ordinatus, obedire reuerentia exigente compellitur, sive que fit vt & res illius minuantur ecclesiæ, & ordo ecclesiasticus non seruetur. Talem ergo te admonente personam debent sibi eligere, quæ nullius incongrua voluntati deseruiat, sed vita ac moribus decorata, tanto ordine digna valeat inueniri. De rebus vero vel ornamento eiusdem ecclesiæ, fideliter rerum inuentarium facito te præsente conscribi. Et ne de rebus ipsis possit aliquid deperire, Respetum diaconum atque Stephanum primicerium notariorum, vt ipsarum rerum omnino gerant custodiam admoneto; interminans eis de propria eos satisfacturos esse substantia, si quidquam exinde eorum negligentia fuerit imminutum. Malchum autem fratrem & coepiscopum nostrum contestari te volumus, vt se penitus in hac causa non misceat. Nam si per eum aliquid contra voluntatem nostram factum vel tentatum potuerimus addiscere, non modicam ad se culpat & periculum pertinere cognoscatur. Sed & hoc eum admonere curato, vt ad ponendas exemplandasque rationes patrimonii nostri quod geslit, debeat esse solitus, pro quibus etiam faciendis, ex Siciliæ partibus ad nos postposita excusatione venire festinet. In rebus igitur Salonitanæ ecclesiæ nullo modo se miscere præsumat, ne amplius ei aut obnoxius, aut possit esse culpabilis. Nam multa habere de rebus prædictæ ecclesiæ fertur, eumque opinio pene auctorem extitisse in venditione rerum eius, vel aliis illicitis asseuerat. Quod si ita esse, sicut dicitur, manifesta veritate patuerit, certus sit in ultum hoc nullatenus remanere. Expensa vero, quæ necessaria fuerit, per œconomum, qui tempore mortis prædicti episcopi inventus est, erogetur, quatenus rationes suas futuro episcopo ipse, vt nouit, exponat. Cuncta siquidem quæ

Grat. 8. q.  
2. c. 1. luo p.  
§. c. 129. Po-  
lycl. 2. tit. 3.

tibi

tibi agenda mandauimus, cum consilio magnifici atque eloquentissimi Marcelli filii nostri te agere profecto necesse est, quatenus ita omnia quæ huius præcepti pagina continet solicite strenueque possis implere, vt nulla te neglectus culpa respiciat.

## EPISTOLA XXIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM SVBDIACONVM.

De lapsu Secundini, &amp; ordinatione Theodosii.

*Gregorius Petro subdiacono Campaniæ.*

**Q**VAMVIS horrenda execrandaque nimis Secundi-  
num ad aures nostras peruererit crimina commis-  
se, hoc tamen solum ad eius damnationem potest suffice-  
re, quod etiam ipse de se dicitur fuisse confessus. Cognoui-  
mus autem ab eo dictum, quod dum tertius a loco esset  
abbatis, a statu habitus sui lapsu corporis ceciderit: & li-  
cet ad abbatis ordinem tanto coinquinatus facinore nulla  
debuerit ratione proficere, tamen quia temerario post  
ausu ac tanta pollutione detentus hoc indignus arripuit,  
experiens tuæ huius auctoritatis tenore præcipimus, vt  
præfato Secundino remoto ab abbatis officio, Theodo-  
sium, quem congregatio ipsa sibi petiit ordinari, in mo-  
nasterio sancti Martini abbatem solenniter per eum cuius  
prouisio interest facias ordinari; quatenus in cura con-  
gregationis subiectæ, adiuuante Deo, cauta possit folici-  
tudine vigilare. Possessiones vero, vel hortos eiusdem mo-  
nasterii, ecclesiastica, in quantum ratio patitur, tuitione  
defende.

## EPISTOLA XXIV.

## GREGORII PAPÆ I.

AD LEONTIVM EPISCOPVM VRBINATEM.

De infirmitate Castorii, &amp; visitatione eius ecclesiæ.

*Gregorius Leontio episcopo Vrbinati.*

**C**ASTORIVM fratrem & coepiscopum nostrum hic pro Ioan. diac.  
lib. 4. c. 53. corporis sui molestia retinemus. Et quia nunc ad suam  
ecclesiam non valet remeare; propterea, eo absente, ec-

*Concil. Tom. 13.*

Pp